



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VII. Aliæ superioris argumenti instantiæ, & soluntiones reiectæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

fit probabilis, adeoque secundum quid improbabilis: hanc autem improbabilitatem secundum quid in aliqua earum prædicationum ita adstruo, ut probabilitatem ex auctorum consensu profectam utrique concedam, quod satis est ad hoc, ut alterutra sit absoluta, ac vera ratione probabilis, ut dictum est: haud secus atque ut homo sit simpliciter & absolute calidus, satis est ut sit calidus ut quatuor, quamvis calorem ut octo non obtineat. Ad quartam objectionem contrariam dicendum est idipsum, servata proportionem, quod ad tertiam nuper dilutum.

84 Tertio loco aduersarios nostros interrogo, quod sine lite hanc de improbabilitate conclusionis, cuius præmissæ ambæ sunt secundum se probabiles, nobiscum contestentur? An id contendunt, nostram conclusionem, scilicet, *ergo aliquid realiter idem habet predicata contradictoria, sicut ad distinctionem virtualem oportet*, esse improbabilem, quamvis alterutra eius præmissa sit probabilis? an solum, eam non esse adeo probabilem, ac eius præmissas? an denique, esto sit non minus probabilis, quam eius præmissæ, quod tamen ita sit probabilis, haud inde ei obuenire, quia quævis eius præmissa est secundum se cum probabilitate coniuncta? si secundum, & tertium contendunt, abs re planè disputant: ubi enim nobis concedetur, conclusionem nostram esse absolute probabilem, ac veram, parum curabimus, quem probabilitatis gradum obtineat, aut quibus ex causis eius oriatur probabilitas. Sin autem primum sibi propositum habent, haud magis aptè eos disputare censeo: siquidem medio utuntur vago, & non distributo, eorumque discursus in summam redactus talis est; aliquæ præmissæ secundum se probabiles inferunt conclusionem improbabilem: at hæc propositiones, *omnis actus contritionis quatenus amor, & odium habet predicata contradictoria, sed omnis actus contritionis est idem realiter*, sunt aliquæ præmissæ: conclusionem ergo improbabilem inferent, scilicet hanc *ergo aliquid realiter idem habet predicata contradictoria, sicut ad distinctionem virtualem oportet*, quo argumentandi genere quid ineptius? quid huic similis, *aliquid animal est rationale, sed caballus est aliquid animal, ergo caballus est rationalis*. Præterea an non ridiculum sit, conclusionem tot rationibus, sin minus euidenter veris, ac certè verisimilibus, à nobis probatam, ac tot, tamque grauium auctorum præsidio munitam, improbabilitatis damnare: an non pati, imo potiori iure possemus similem contrariæ sententiæ dicam impingere?

85 Porro alij, ne confutata hætenus solutionis auctoribus alienissimo tempore desint, in eorum gratiam obiciunt, nos etiam in præsentiarum aduersus syllogisticæ artis præcepta manifestè peccare, atque id vitij incurrere, quod in aliis supra reprehendebamus. Etenim, inquiunt, ut in hoc syllogismo tantopere improbo *nulla anima suis potentiis identificata existit, sed neque existit anima à suis potentiis distincta; ergo nulla anima existit*, anima adeoque medium ingreditur conclusionem; ita similiter in eo, quem nos eius loco instaurauimus, scilicet, *si existit anima, vel est distincta, vel indistincta à potentiis, at nec distincta, nec indistincta, ergo nullo modo existit*, anima, ac proinde medium rationem habet subiecti in assensu conclusionis, eumque intrat; sed vicem, pro eo ac putant, nobis haud rependunt: siquidem syllogismus aduersariorum, cum sit absolutus, & de inesse, non verò hypotheticus, constare debet aliquo medio, ut certo certius: eiusmodi autem medium, quod esse poreit, quam anima? haud enim esse potest terminus

ille, *identificata potentiis suis*; haud etiam ille, *distincta à potentiis suis*, cum neuter in præmissis repetatur. Quod si dicatur, medium esse terminum illum, *non existit*, quippe qui in præmissis geminatur, eodem res redit, & difficultas neotiquam tollitur: namque etiam particula, *non existit*, conclusionem, de qua est sermo, ingreditur. Atqui syllogismus à nobis propositus est hypotheticus, atque adeo is, in quo medium querere, sit ineptissimum: nihil enim in Dialectica facultate certius, nihil ea vel leuiter imbutis exploratius, quam syllogismum hypotheticum non constare medio, nec inniti principio illi, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se: qui ergo fieri potest, ut syllogismi nostri medium, quod in eo nullum est, eius tamen conclusionem intrat, nec suos intra fines se cohibeat? Rursus fac syllogismum hypotheticum à nobis denuo factum medio haud vacare, certè illud haud erit, *anima*, haud etiam terminus *non existit*; sed potius distinctio, indistinctioque, quæ in vna præmissa conditionate affirmantur, & in alia absolute negantur, assensum verò conclusionis haud ingrediuntur, nec in ea locum subiecti, aut prædicati obtinent. Sed de his satis.

Quintò respondent aliqui, amorem contritionis non amare peccatum, quia ad illud terminatur per modum recessus, non verò per modum accessus; contra verò odium contritionis non odisse Deum, quia ad illum terminatur quidem, at non per modum recessus, sed per modum accessus: proinde amoris, & odio haud conuenire predicata contradictoria; quilibet enim earum formalitatum ad Deum, & qualibet ad peccatum, & alterutra eodem modo, quo altera terminatur: nihilominus utramque diuersas denominationes, easque impermixtas, & inconfusas tribuere, eo, quod aliter, aliterque referantur ad Deum, atque peccatum, veluti dictum est: hanc autem rationem in cognitione, & repræsentatione locum non habere.

87 Hæc solutio non rerum nucleos, sed meras voces nobis offert: quid enim est recessus, quam odium, aut accessus, quam amor? amorem ergo terminari ad peccatum, ut recessus, non verò ut accessus est, perinde valet, ac eum terminari ad peccatum ut odium, non verò ut amor est, & consequenter amoris, & odio conuenire predicata contradictoria: difficultas ergo non tollitur, sed aliis innouit nominibus, quasi verò eorum præsidio, tuta esse posset absentibus rebus. Rursus secundò in ipso accessu, & recessu argumentor: amor enim, ut est accessus, siue per modum accessus, non terminatur ad peccatum, idemque amor ut recessus ad illud terminatur: accessui ergo, & recessui conueniunt predicata contradictoria, adeoque virtualiter distinguuntur. Præterea tertio: sicuti amor quantumlibet indinatus virtualiter ab odio, terminatur tamen aliquo modo peculiari ad peccatum, ratione cuius illud non amatum denominat, sed odio habitum; cur etiam repræsentatio quantumlibet indistincta virtualiter à cognitione, tamen terminari nequeat ad obiectum tali modo, ut illud repræsentatum denominet, & non cognitum?

CAPVT VII.

Aliæ superioris argumenti instantiæ, & solutiones reiectæ.

88 Præter communes Neotericorum instantias, & solutiones hætenus confutatas, sunt aliæ, quas hic

hic diluere intendo, tum maioris doctrinæ causâ, tum, ut nostri efficacitas argumenti magis elucescat. Ut ergo ab instantiis meo de more auspicer, obicies primò ad recipiendam aliquam denominationem, opus est, ut subiectum eius capax sit, qua de causa intellectio constituta in lapide, eum haud denominaret intelligentem: at Deus non est capax, ut denominetur odio habitus à contritionis actu, odiove in eo imbibito, aliàs iam non actus contritionis Deo gratus, sed actus peccaminosus futurus esset: tamen ergo non conveniant prædicata contradictoria amoris, & odio contritionis, quin potius tam ut amor, quam ut odium terminetur ad Deum, non propterea eum odio habitum denominabit.

89 Respondeo primò, Deum, quoad eius est, esse capacem, ut odio habeatur ab actu contritionis, quatenus est odium non minus, quam à quovis alio actu: quòd autem ab eo nequeat illam denominationem accipere, non ex defectu capacitatis in Deo ad illam accipiendam, sed ex inopia capacitatis in actu ad eam tribuendam, oriri: unde actus ille non esset contritionis, si Deum odisse posset, id est, si denominationem odio habiti imperire posset: nequaquam verò idem sequeretur ex capacitate remota, & conditionata in Deo, ut intuitu liqueat. Respondeo secundo: ut dignoscatur, an effectus aliquis formalis alicui subiecto ab aliqua forma tribui possit, haud esse attendendum, an subiectum sit capax recipiendi eum effectum formalem à tali forma destinare sumpta, sed, an absolute, & sine ulla limitatione eius effectus formalis capax sit: hoc enim supposito forma ei communicata tribuet illi suum effectum formalem: cum igitur Deus absolute sit capax, & aptus odio haberi, odium autem contritionis ad eum terminetur, eum profectò odium habitum denominabit. Quòd autem assumptio vera sit, facile probatur, aliàs dici posset, albedinem connaturaliter recipi posse in pariete, quin eum denominet album, nimirum, quia licet paries sit capax denominationis albi, non tamen ab hac albedine: unde ergo nobis constabit, parietem de facto, ut aiunt, esse album quantumlibet albedo ei inhareat: Pari ratione fingi posset, cognitionem terminari ad aliquod obiectum, quod tamen cognitum non denominaret, nempe, quia obiectum non esset capax cognosci ab id genus cognitione. His exemplis alia similia tute producere potes: nobis enim non vacat.

90 Respondeo tertio, & præcedenti responsioni lucem adhibeo. Transeat, spectandam esse capacitatem subiecti in ordine etiam ad hanc destinatam formam, ut dignoscatur, an ab ea effectum formalem recipiat. Fac etiam Deum incapacem esse, ut ab odio contritionis denominetur odio habitus. His ex superfluo concessis ita disputo. Deus est incapax recipiendi denominationem odio habiti ab odio contritionis: hoc igitur ad eum non terminatur, cum tamen amor ad eum terminetur, atque adeo amor, & odium contritionis virtualiter distinguuntur. Consequentia, quæ sola eget probatione, hunc in modum probatur: nequit albedo naturaliter recipi in subiecto, quod per eam incapax sit esse album, aliàs unde nobis clarere poterit, omnes substantias materiales à Deo productas non esse incapaces, ut ab ea sint albæ, quantumlibet earum pleræque naturaliter albedinem recipiant? Rursus nequit cognitio, v. g. terminari ad aliquod obiectum, quod incapax sit cognosci, par ratio est amoris: similiter ergo nequit odium contritionis ad aliquod terminari obiectum, quod non sit idoneum odio haberi: cum ergo Deus sit incapax haberi odio ab eo, quod inuoluitur

in contritionis actu, sanè huiusmodi odium terminari nequibit ad Deum, ad quem tamen terminatur amor contritionis; eritque adeò, ut hæc formalitates fortiantur prædicata contradictoria, prout ad distinctionem virtualem oportet.

Obiicies secundo, & superiorem corroborabis instantiam. Ea tantum prædicata distinctionem virtualem arguunt, quæ opposita, & contradictoria sunt, ut luce clarius est: atqui esse amorem unius obiecti, & odium alterius non opponuntur, nec inter se contradicunt, sed potius inuicem conueniunt: ergo, &c. Confirmatur, & declaratur: idcirco esse amorem, & odium unius obiecti opposita sunt, atque contradictoria prædicata, quoniam esse odium alicuius obiecti est non esse amorem eiusdem: at esse odium unius obiecti haud est non esse amorem alterius: ergo esse amorem unius obiecti, & odium alterius opposita, & contradictoria prædicata non sunt, ac proinde distinctionem virtualem in actu contritionis neutiquam arguent. Respondeo tamen ad instantiam per aliam: esse animal, siue principium sentiendi, & esse rationale, siue principium discurrendi non opponuntur, nec inter se contradicunt, sed potius conueniunt, & in eodem morantur homine: & tamen non sine distinctione virtuali in eo reperiuntur: ergo, &c. Item esse animal, siue principium sentiendi non est realiter non esse rationale, siue principium discurrendi: & tamen animal à rationali virtualiter distinguitur: ergo tamen esse amorem unius obiecti haud sit non esse realiter odium alterius, nihilominus, &c. Respondeo secundo, esse amorem unius obiecti, & odium alterius, explicite quidem non opponi, nec contradicere inuicem, secus tamen implicite: latent namque in iis formalitatibus hæc prædicata contradictoria, nimirum actum contritionis terminari ad peccatum, quatenus est odium, & ad illud non terminari, quatenus est amor: contra verò ad Deum terminari, ut amor, & ad illum non terminari, ut odium est.

Obiicies tertio: amor unius obiecti per seipsum formaliter, ac circumscripta quavis formalitate distincta potest esse odium alterius obiecti: ergo, &c. antecedens probatur: quoniam lux, & tenebræ sunt obiecta realiter distincta, ut luce ipso dilucidius est: atqui amor tenebrarum seipsa formaliter, & circumscripta quacunque alia formalitate est odium lucis; ergo, &c. Minor suadet, odisse aliquid est formaliter velle ei malum, quodcumque illud sit, adeoque eius carentiam, & non esse: quando igitur tenebræ sunt carentia lucis, sanè velle, siue amare tenebras, erit velle malum, carentiamque lucis, ac proinde lucem odisse: amor ergo tenebrarum, & odium lucis formaliter idem erunt, & ne minima, ac virtuali distinctione ante opus intellectus discernentur inuicem. Respondeo tamen, odium lucis esse formaliter, & quidditatiuè solam auersionem, ac displicentiam lucis, & nec formaliter, & quidditatiuè, nec quod plus est, realiter, aut, ut aiunt, materialiter esse amorem tenebrarum, atque ad summum radicaliter esse eiusmodi amorem, propterea, quòd illum inferat, vel ab eo inferatur. Quamuis autem Angelus lib. 1. de virtutibus cap. 3. docum. 1. & cum eo Holcot, alique apud Almainum in 3. dist. 13. quæst. vnica, censcant, odium omne nihil aliud esse, quam amorem obiecti contradictoriij; ceterum oppositum verius esse docent Vasq. 1. 2. disp. 23. cap. 2. num. 6. Azor. tom. 1. lib. 3. cap. 4. q. 8. Theophilus in disciplina morali dist. 3. quæst. 2. art. 2. num. 176. & communiter reliqui Doctores. Verùm de hoc plura in loco.

Obiicies quarto: forma physica connaturaliter recepta in aliquo subiecto, non propterea debet ei tribuere

tribuere omnem suum effectum formalem intrinsecum, sed satis est, ut aliquem ei impertiat: similiter ergo forma intentionalis terminata ad aliquod obiectum, non ob id debet ei tribuere omnem suum effectum formalem extrinsecum, sed satis, superque est, ut aliquem ei conferat: vnde tametsi odium actus contritionis non minus, quam amor, ad Deum terminetur, non propter id ei effectum formalem odio habiti debet tribuere, sed sat erit, si eum amatum denominet: actui ergo contritionis predicata contradictoria, nempe terminari, & non terminari haudquaquam conueniunt. Antecedens argumenti (reliqua enim probatione non egent) multifariam suadetur. Gratia habitualis in Christo, eiusque humanitate, supposita vnione hypostatica, connaturaliter recipitur: licet enim nobis gratia habitualis supernaturalis sit, Christo tamen est connaturalis: Gratia autem illa est Filiatio adoptiua, eiusdemque speciei cum gratia nobis infusa, quae citra dubium nos Filios Dei adoptiuos denominat: vnde gratia Christi duplicem habet effectum formalem, nempe Filij adoptiui & Sancti, ac iusti. Atqui Christo, in quo connaturaliter suscipitur, hunc duplicem effectum formalem minimè communicat, sed alterum tantum, nempe iusti, & Sancti: Christus enim, cum Filius Dei naturalis sit, eius esse nequit Filius adoptiuus, aut ita aliunde denominari.

94 Secundo probatur idem antecedens, quod caput, & summa est totius instantiae. Species impressa visualis naturaliter recipitur in aëre inter potentiam fusam: at, cum contineat effectum formalem proximè visui, & oculum, si ei imprimeretur, proximè potentem videre denominaret, tamen hunc effectum formalem aëri non communicat, sed alium; aër enim à specie visuali specificatus, aut specie informatus denominatur, non verò proximè visiuus. Terriò probatur illud antecedens: cum magnes attrahit ad se ferrum, id, nisi per qualitates attractiuas per medium diffusas non praestat: ex autem qualitates in aëre intermedio receptae, cum non denominant attractum, cum tamen hunc effectum formalem contineant, aliàs ferrum non attracturæ: solumque denominant aërem informatum seipso, eo nimirum, quod ab illis aëri informari quidem possit, non verò ad magnetem attrahi.

95 Quarto probatur idem antecedens: cognitio continet duplicem effectum formalem, nimirum cognoscens, & cogniti, & tamen in intellectu solo connaturaliter recepta vtrumque ei non communicat, sed alterum tantum, videlicet cognoscens, non verò cogniti, &c. Quintò probatur, Sanctitas simpliciter infinita Verbi communicatur, atque vnitur humanitati Christi Domini, & tamen non denominat eam simpliciter infinitè, siue summè Sanctam, cum tamen hunc effectum formalem, siue denominationem contineat, & Verbo diuino tribuat: ergo, &c. Tandem probatur: quoniam volitio Dei efficax, qua Angeli existentiam decernit, duplicem habet effectum formalem extrinsecum: Deum enim volentem & Angelum volitum denominat, & in super Deum creantem, & Angelum creatum: & quamuis existat ab aeterno, Deumque intrinsecè afficiat, & Angelum nondum existentem extrinsecè; ceterum Deum ex tota aeternitate volentem, & non creantem, Angelumque volitum, non verò creatum denominat: forma igitur aliqua in quadam duratione subiecto suo, vel obiecto vnum effectum formalem, & non alium impertit, cum tamen in tota illa duratione ea existat, & subiectum, obiectumve suum respiciat: quid mirum ergo, si etiam absolutè, & praescindendo à tempore subie-

ctum, aut obiectum intueatur aliquod, cui tamen non omnem suum effectum formalem, sed duntaxat aliquem communicet, quod erat antecedens probandum.

96 Respondeo negato antecedenti: quoniam aut subiectum est capax recipiendi à forma sibi accommodatè, & sufficienter vnita omnem suum effectum formalem: atque ita non poterit eum non recipere: effectus enim formalis aliud non est, quam forma conuenienter vnita subiecto capaci: vnde quot habuerit effectus formales aliqua forma, totidem tribuet subiecto capaci, & ideo, cui proportionatè vnitur: aut subiectum non est capax omnis effectus formalis, seu denominationis formæ, sed tantum alicuius: atque ita qui fieri potest, ut connaturaliter in eo recipiatur subiecto, & non potius in alio, cui plenè, & in integrum non est capax communicare. Profectò aliàs fingi poterit esse possibilem actum aliquem contritionis odio, & amore essentialiter constantem, qui in voluntate humana naturaliter recipiatur, eam tamen non amantem, sed odio habentem denominet; & aliquem actum, qui efficax, & inefficax, gaudium, & desiderium, intentio, & electio respectu diuersorum sit, & voluntatem tamen, cui naturaliter insit efficaciter, non verò ineffaciter amantem denominet, & desiderantem, non gaudentem, intendentem, & non eligentem constituat: rursus possibilem esse actum intellectus, qui intuitu diuersorum apprehensio, & iudicium, affirmatio, & negatio, fides, & scientia sit, eumque in intellectu naturaliter receptum, illum tamen denominare apprehendentem, non iudicantem, &c. hæc autem quis monstrat, & chimerica esse non conspiciat?

97 Ad primam probationem antecedentis oppositi respondeo, gratiam habitualemente sola non esse Filiationem adoptiuam, sed iunctam cum carentia Filiationis naturalis, atque vnionis hypostaticæ cum Verbo diuino: vnde Filiatio adoptiua Dei erit gratia, & carentia illa instar vnus: malè ergo assumitur Filiationem adoptiuam recipi connaturaliter in Christo Domino, quin cum Filium adoptiuum Dei denominet: gratia enim in eo recepta per se non est Filiatio adoptiua. Adde fortassis subiectum connaturale gratiæ habitualis non esse humanitatem Christi, sed substantiam aliquam supernaturalem diuinitus possibilem. Adde secundo, non deesse aliquos, qui gratiam Christi esse diuersæ speciei à nostra asserant: quod si ita est, licet nostra per se sola sit Filiatio adoptiua, idque disputandi gratiā permittatur, non ob id idem de gratia Christiana dicendum est.

98 Ad secundam eius antecedentis probationem respondeo; species impressas in aëre, quem certè visuum non denominant, naturaliter receptas, satis probabiliter negari posse, ut infra lib. 8. tractatu 1. constabit. Rursus secundo, tametsi eius genij species ex superfluo concedamus, nihil ex contra nos concludunt, nihil aduersariis fauent: forma namque denominans visuum, siue potentem videre in actu primo proximo est complexio speciei impressæ, & oculi: hæc autem complexio in aëre non recipitur: subiectum ergo denominationis incapax eo ipso formæ denominantis capax haud est. Effectus ergo formalis speciei impressæ est posse concurrere, vel mediare, vel immediate, vel proximè, vel remote ad visionem: hunc autem effectum formalem species aëri impertit: aër enim ad visionem mediatè, ac remote, id est ministerio ipsius speciei concurrat. Quod si hic effectus formalis speciei non placet, dicito, eum esse alium, verum quidem, & realem, sed innominatum,

minatum, haud secus, ac effectus formalis candoris verus, ac realis foret, quantumlibet omni nomenclatura careret.

99 Ad tertiam eiusdem antecedentis probationem respondeo, non deesse plures, qui cum Scoto qualitates illas attractiuas, & quasque alias à magnete per medium aëra diffusas negent, & magnetem arbitrentur in ferrum distans operari sine vlla operatione per medium sparsa. Rursus transeat, magnetem allicere ferrum aliquid operando per medium: unde tamen constat, eum producere qualitates attractiuas in aëre intermedio, & non potius alias, quæ aërem non attrahant, sed aliter perficiant, etsi talem perfectionem clare non cognoscamus, & non nisi eius ferri attractione coniciamus? Tandem donemus, qualitates attractiuas à magnete per medium aëra vsque ad ferrum continuè diffundi; & quidem eundem effectum formalem tribuent aëri, quem ferro communicant. Pro cuius rei luce, & intelligentia notandum est, ferrum non denominari attractum, siue motum à qualitatibus à magnete traiectis veluti à causa formali, sed duntaxat tanquam à causa efficiente: causa ergo formalis eius denominationis est motus localis ferri, qui, si minus in fieri, ut aiunt, at saltem in facto esse sumptus in ferro ipso, & non in aëre, aut alibi recipitur: qualitates verò attractiuas denominant formaliter subiectum, cui imprimuntur, efficiens mediata, vel immediata motionem ferri versus magnetem: hunc autem effectum formalem tribuunt etiam aëri, qui haud dubiè mediis illis ferri motionem efficiunt, ad illudque mouendum qualitates similes iis, quas habet serie quadam diffundit.

100 Ad quartam illius antecedentis probationem respondeo, cognitionem, aliam esse actiuam, cuius partes sunt denominare intellectum cognoscentem, & aliam passiuam, cuius officium est denominare obiectum cognitum: prior autem cognitio recipitur in voluntate immediate, & proximè: posterior verò à priori virtualiter distincta fortassis in ea non recipitur, nisi remotè, & mediata: quamuis enim omnis forma in subiecto aliquo immediate, & formaliter recipiatur, non tamen omnis eius formalitas: sicut licet omnis creatura à Deo dependeat immediate, & proximè, non tamen omnis creaturae formalitas, nec quacunque est talis, ut penes eam cum ipso Deo conueniat: quid mirum ergo, quòd cognitio passiuæ intellectum cognitum non denominet, cum non illum, sed obiectum immediate, & proximè respiciat: atqui in aduersariorum sententia odium contritionis Deum immediate respicit non minus, quam amor: quid causæ ergo esse potest, ut eum odio habitum non denominet? Secundò respondeo, aliud esse formam aliquam intentionalem recipi immediate in subiecto, aliud verò ad illud immediate terminari: prior enim respectus est omnino intrinsecus, posterior verò, saltem æquiualeuter extrinsecus: quare licet uterque sit proximus, & immediatus, non possunt non distingui. Hoc posito, cognitio ut actiuæ, & si mauis, etiam ut passiuæ in intellectu recipitur immediate: ceterum non terminatur immediate ad intellectum, sed ad obiectum aliquod extraneum, ut supponitur, vtrinque: mirum ergo non est, si intellectum cognoscentem, & non cognitum denominet: ad alterum enim effectum formalem tribuendum habet vnionem sufficientem cum intellectu, non verò ad alterum. Quod autem dixi, formam non posse communicari subiecto capaci, quin ei omnem suum effectum formalem tribuat, id intelligendum est, si vnio, & communicatio sit suffi-

ciens, ac proportionata: hinc enim optimè colligitur, odium contritionis ad Deum terminatum, eum non posse non odire: nam Deus est capax eius denominationis recipiendæ, & odium eius tribuendæ: aliunde verò odium terminatur extrinsecè ad Deum, qui terminationis, ac vnionis modus ad effectum formalem odio habitum sufficiens est, atque proportionatus.

Ad quintam probationem eius antecedentis, de quo toties, respondeo similiter, sanctitatem simpliciter infinitam Verbi non denominare humanitatem Christi simpliciter infinitè sanctam, etsi hunc effectum formalem contineat, nimirum, quia humanitati non vnitur per identitatem, quæ tamen vnio ad id denominationis requiritur: hinc autem vis nostri argumenti, supra cap. 4. propositi, haudquaquam labefactatur, ut iam iam vidimus. Ad sextam, & vltimam probationem eiusdem antecedentis respondeo, & facili quidem negotio, nec Deum dici creatorem Angelum ab æterno, nec Angelum creatum, si particula *ab æterno* appellet supra existentiam Angeli; & hoc seu exponenda esse Patrum, & Scripturarum testimonia, vbi nihil à Deo tota retrò æternitate factum esse adstruunt: ceterum absque periculo, & scrupulo concedi posse, tam Deum creasse Angelum ab æterno, quam Angelum etiam ab eo iam tunc esse creatum, si particula *ab æterno* supra creationem ipsam, non verò supra existentiam Angeli appellet. Nulla ergo forma est, quæ non tribuat subiecto capaci omnem suam denominationem, idque in quacunque duratione, in qua ei communicatur.

Obiicies quintò: Paternitas, qua Petrus, v. g. est Francisci Pater, illum Patrem, & hunc non Patrem, sed Filium, vel certè terminum Paternitatis denominat: & tamen Paternitas à seipsa non distinguitur virtualiter, sed ad summum ita distinguitur à Filiatione: eadem ergo forma, aut quasi forma duabus rebus duas tribuit diuersas denominationes, quin virtualiter sit multiplex respectu earum: actus ergo contritionis Deum amare, & peccatum odire poterit, quin odium, & amor in eo virtualiter distinguantur. Confirmatur, & declaratur: Paternitas se tota Petrum respicit, aliàs quo pacto eum posset denominare Patrem. Rursus eadem Paternitas se tota respicit Franciscum, cum sit essentialiter ens ad aliud, siue relationum: & tamen eum non denominat Patrem, sed Filium, vel certè Paternitatis terminum: eadem igitur forma secundum eandem sui entitatem, ac formalitatem potest respicere diuersas res, eisque non eandem, sed diuersas tribuere denominationes: actus igitur contritionis se toto, prout amor, odiumque est, poterit respicere Deum, & peccatum, quin vtrumque simul odio habitum, & amatum denominet, sed alterum amatum, alterum odio habitum: ad hoc ergo non est opus, ut in eo virtualiter distinguantur amor, & odium, ut ve prior formalitas ad solum Deum, ac posterior terminetur ad solum peccatum.

Respondeo in primis: si relatio prædicamentalis sit modus fundamento realiter superadditus, ut Thomistica tradit schola, nullo negotio instantiam dilui posse: etenim iuxta hanc sententiam Paternitas respicit intrinsecè Petrum, verbi gratia, in eoque recipitur, ad Franciscum verò solum extrinsecè terminatur: cum igitur denominatio Patris postulet vnionem receptionis intrinsecæ, mirandum non est, quòd Paternitas solum Petrum denominet Patrem, non verò Franciscum, cui intrinsecè non vnitur, perinde, ac est vnita Petro: at odium imbibitum in actu contritionis haud aliter, ac amor extrinsecè terminatur ad Deum, & ad tribuendam suam denominationem,

nationem, aliam respiciendi modum minimè postulat: Vnde non poterit non denominare Deum odio habitum, sicut amatum hoc ipso, quòd sint virtualiter indistinctæ eiusmodi formalitates.

104 Rursus, si, quod probabilius est, Paternitas sit partim intrinseca, partim extrinseca tam Petro, qui Pater est, quàm Francisco, qui Filius, haud malè explicari potest, quatenus vnum eorum, non alterum Patrem denominet, vt ambos se tota respiciat: nam diuerso modo vtrumque respicit: Petro siquidem est intrinseca quoad rationem *in*, Francisco verò non est intrinseca quoad rationem *in*, sed extrinseca: contra verò Petro est extrinseca quoad rationem *ad*, & Francisco non extrinseca, sed intrinseca. Porro in præsentiarum ratio *in* vocatur fundamentum relationis, & ratio *ad* terminus. Quocirca, cum relatio iuxta hanc sententiam virtualiter, vel saltem realiter in fundamento, & termino consistat, non poterit non constitui ratione *in*, & ratione, quam *ad* appellant: ob hunc igitur diuersum respectum, siue communicationem quandam Paternitas Petrum denominat Patrem, non verò Franciscum, tamen demus eam se tota vtrumque respicere quodammodo: hæc autem ratio non procedit in actu contritionis, cuius vna formalitas, amor nimirum omnino extrinsecè Deum respicit, patique ratione altera formalitas, odium scilicet eum etiam intueretur extrinsecè prorsus. Cum ergo, vt dictum est, eodem modo vtrique formalitas Deum respiciat, eique intentionaliter vniatur, quid causæ esse potest, vt eum ex æquo amatum, odioque habitum ambæ non denominent?

105 Præterea, vt infra statim explanabitur, Paternitas actiua, cuius munus est denominare Patrem, & Paternitas passiua (vt ita loquar) cuius officium est denominare Filium, siue terminum Paternitatis, virtualiter intrinsecè distinguuntur, & altera respicit seipsa præcisè solum Petrum, qui Pater est, altera verò solum Franciscum, qui Filius: quòd autem Paternitas sit essentialiter ens relatiuum, in contrarium non obstat: inde namque duntaxat fit Paternitatem complecti duplicem formalitatem, munere quarum fit relatio vnius ad aliud: quòd si de Paternitate actiua, siue sola vna formalitate sermo sit, erit quidem essentialiter quid relatiuum, prout relatio solum fundamentum respicit, quatenus verò relatio terminum respicit, non per seipsam essentialiter, sed per aliam formalitatem superadditam eo pacto erit relatiua: quæ cum ita sint, assumptum instantiæ falsum est, atque adeo reliqua exinde deducta corrumpuntur.

106 Obiicies sextò: Eadem virtualiter cognitio denominat intellectum cognoscentem, & obiectum cognitum: par autem ratio est amoris, actionis, vniouis respectu suorum extremorum: similiter ergo idem, non solum realiter, sed etiam virtualiter actus contritionis denominat Deum amatum, & peccatum odio habitum, & non è contrario: proinde non est, cur in eo actu amor, & odium virtualiter distinguantur: consequentia hæc est in conspicuo: sicut cognitio, etsi eadem etiam virtualiter forma sit, & in cognitionem actiuam, & passiuam minimè diuisibilis, tamen intellectum cognoscentem, & obiectum cognitum denominat; cur nam etiam actus contritionis, &c. Antecedens autem suadetur primò, quoniam idem etiam virtualiter est intellectum cognoscere obiectum, & hoc esse cognitum ab intellectu: at non est idem ex parte recti: ergo ex parte solius obliqui; atqui obliquum duntaxat est cognitio: eadem ergo virtualiter cognitio est, qua

intellectus cognoscit obiectum, & hoc ab intellectu cognoscitur: Secundò, quoniam nequit concipi, nedum separari re ipsa hoc, quod est intellectum cognoscere obiectum ab hoc, quod est obiectum esse cognitum ab intellectu: ergo ne virtualiter quidem distinguuntur ex parte formæ, siue cognitionis: eadem ergo virtualiter cognitio vtramque denominationem præstat: Tertio, quoniam cognitio actiua, qua intellectus cognoscit, est essentialiter representatio obiecti: obiectum ergo denominat representationem, siue cognitum: ergo est virtualiter, siue iuxta aliorum phrasim formalissimè cognitio passiua, atque ita eadem virtualiter cognitio est actiua, & passiua, obiectumque cognitum, & intellectum cognoscentem denominat: Quarto tandem, quia si cognitio actiua, qua intellectus cognoscit, & passiua qua obiectum cognoscitur, essent virtualiter distinctæ in nostra, vel Angelica cognitione, qua, vel illi, vel nos in hac rerum serie cognoscimus, fieri quidem posset, diuinitus saltem, vt aliqua cognitio actiua realiter separaretur à passiua, vtque, quod consequens est, intellectus cognosceret, quin aliquod obiectum esset ab eo cognitum: sicuti animal, & rationale, quoniam in nobis modò virtualiter distinguuntur extra nos essentialiter separabilia sunt, atque aliquid est animal, quod re ipsa rationale non sit, & aliquid rationale, quod non animal.

107 Respondeo primò, negato antecedenti. Ad primam eius probationem dicendum est, eius maiorem esse falsam: cum enim non pauci Thomistæ doceant, ne realiter quidem idem esse hoc, quod est intellectum cognoscere obiectum, & hoc contra esse cognitum ab intellectu, mirandum non est, quod hæc duo virtualiter distincta esse putemus, medianque hic viam inter realem distinctionem, ac distinctionem solius rationis teneamus. Rursus ad eandem probationem dici potest, nihil eam concludere, tamen si eius maior, minor, & consequentia concedantur: namque intellectum cognoscere obiectum inuoluit cognitionem actiuam, necnon etiam passiuam: parique ratione obiectum cognosci ab intellectu vtramque inuoluit: vnde cognitio actiua, & cognitio passiua non sumuntur seorsim, nec comparantur inuicem, nec contra ponuntur in probatione, sicuti oportet ad hoc, vt fieret eas esse virtualiter indistinctas. Ad secundam probationem dicendum est, in primis posse concipi intellectum cognoscere, quin concipiatur ecquid ab eo cognoscatur; & etiam posse concipi obiectum cognosci, quin, &c. vnde non est, cur virtualiter non distinguantur. Bene verum est, non posse concipi conceptu claro, & adæquato illud prius sine posteriori: potest tamen conceptu confuso, & inadæquato, & hoc ad distinctionem virtualem factis, & superque est. Rursus hæc probatio superioris probationis vitium admittit: non enim cognitionem actiuam hinc, & passiuam inde sumit, aut inuicem comparat, & contraponit, sed vtramque hinc & inde etiam vtramque. Ad tertiam probationem dicendum est eius antecedens esse falsum: cognitio namque actiua non est formalissimè representatio obiecti, id est, qua obiectum cognoscitur, siue representatur, sed duntaxat representatio solius intellectus, qua nimirum hic cognoscit, & representat: & è contrario de cognitione passiua philosophandum est. Ad quartam probationem dicendum est, plura prædicata virtualiter distincta esse posse alicubi, quæ nulli distinctionem realem subeunt, vt enim aliis exemplis superfedeam, vnum, verum, bonum in quavis re mundi virtualiter distinguuntur: & tamen nusquam realiter separata, ac distincta inveniuntur: nulla etenim

etenim res excogitari potest, quæ vera, & non vna transcendentaliter, aut vna, & non vera, aut bona sit, idque per seipsam.

108 Respondeo secundò ad instantiam principalem, permisso eius antecedenti, & negata eius consequentia: arguitur enim à minori ad maius: namque esse aliquid obiectum cognitum, & esse simul id, quod cognoscit, atque utramque denominationem subire, sunt prædicata minimè opposita, & tam respectu eiusdem, quàm respectu diuersorum compossibilia ut enim intellectus cognoscit, & aliud obiectum denominat cognitum; ita ipsemet potest, & solet denominari simul cognoscens, & cognitum: mirandum ergo non est, quòd ad tales denominationes adeo compossibiles, adeoque non repugnantes vna, eademque forma sufficiat: ceterum esse eandem rem simul amatam efficaciter, & odio habitam ab eadem voluntate, ex natura rei saltem repugnat, ut fieri possit, ut ab eadem voluntate, eodemque etiam eius actu vna res ametur, & alia habeatur odio: magis igitur est, ut ad denominationes eiusmodi ex genere suo tam repugnantes, & oppositas, vna, eademque virtualiter forma minimè sufficiat.

109 Respondeo tertio, negata iterum consequentia: idcirco namque eadem virtualiter cognitio vnam rem cognitam, & aliam cognoscentem denominat, quoniam utrique diuersa ratione communicatur, & in altera intrinsecè recipitur, ad alteram verò extrinsecè terminatur: hæc autem ratio in actu contritionis ex amore, & odio virtualiter indistinctis coalescente procedere nequit, ut sapius dictum: namque amor terminatur eodemmodò, nimirum omnino extrinsecè ad peccatum, non minus, quàm ad Deum: & odium, similiter se habet respectu utriusque: necessum igitur est, ut amor utrumque amatum, & odium utrumque odio habitum denominet: proinde absque formalitatum distinctione non potest intelligi, quatenus alterum solum amatum, alterum odio habitum denominet, quantumlibet gratis concedamus sine formalitatum distinctione explicari posse, ut cognitio vnam rem cognoscentem, & alteram cognitam denominet, ac reliquæ etiam formæ cognitioni similes diuersas denominationes impertiant.

110 Præter instantias hucusque obiectas, & reiectas, quædam etiam solutiones argumenti nostri sese mihi offerunt, quas, quia aliis placere video, placet hic refellere. Responderi ergo potest, idcirco contritionis actum, tametsi quatenus amor, odiumque, sit virtualiter indiuisibilis, & nullis subsit prædicatis contradictoriis, tamen tribuere diuersis obiectis diuersas denominationes, ac Deum amare, non odisse, peccatum vero odisse, & non amare, quia eadem etiam virtualiter entitas illius actus æquiualeat actibus realiter distinctis, quorum alter sit amor solus, alter verò solum odium: quando enim hi actus diuersi diuersimodè denominant, & alter eorum aliquid amore, quod non odio, alter verò aliquid odio, quod non amore prosequitur, mirandum non est, quòd hoc ipsum præstet actus contritionis iis æquiualens, ut virtualiter indiuisibilis sit, & quævis eius formalitas ad utrumlibet obiectum, Deum scilicet, & peccatum terminetur ex æquo. Hæc autem ratio in cognitione, & representatione non procedit, adeoque nihil cognosci, & non representari poterit, aut è contrario.

111 Hæc solutio, postquam est à me adinuenta, haud paucis, ut dictum est, artifice. Sed immeritò: namque aut sensus eius est, amorem contritionis æquiualeat actui, cui non æquiualeat eius odium, & hoc vicissim actui alicui, cui amor in contritione imbibitus haud

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

æquipollet: aut sensus illius est, actum contritionis quatenus amor, & quatenus odium est, indiuisibiliter, æquiualeat perfectioni duorum actuum, quorum alter sit solum amor, alter verò solum odium? Si dicatur hoc posterius, difficultati non satisfiet: nam etiam cognitio, ut cognitio est, & ut etiam representatio indiuisibiliter æquiualeat perfectioni plurium actuum intentionalium realiter distinctorum, quorum alteruter cognitione illa imperfectior sit, nec nisi in consortio alterius ei æqualis: iudicium, verbi gratia, perfectioni plurium apprehensionum, aut vnus iudicij valde imperfecti, & apprehensionis, aut saltem plurium sensationum materialium: hoc tamen non sufficit, ut denominet cognitum aliquid, & non representatum, aut conuersum, quia nimirum tota illa æquiualentia ei conuenit indiuisibiliter, & ex æquo, quatenus cognitio, simulque representatio: actus ergo contritionis, si indiuisibiliter, ac se toto æquiualeat diuersis actibus, non poterit merito eius æquiualentia denominationes suas distribuere, & aliquid amare, ac non odisse, aut è contrario: sin autem dicatur illud prius, distinctio virtualis admittitur tametsi nomine æquiualentia reiecta: siquidem actus contritionis, prout amor est, æquiualeat actui, qui sit solus amor, & quatenus odium, ei non æquipollet, sed alteri realiter distincto, qui sit duntaxat odium: iam ergo penes utramque formalitatem prædicata contradictoria suscipit, ut ad distinctionem virtualem oportet.

Secundò reiciitur ea solutio: si per impossibile, ut aiunt, nullus actus voluntatis esset amor, & non odium, aut odium, & non amor, scilicet respectu alterius, alteriusque obiecti; adhuc tamen contritio Deum amaret, & non odisset, & peccatum odio, non amore prosequeretur: quid enim eius refert aliorum actuum distinctio, vel indistinctio realis, ut denominationes suas tribuat, easve, aut separet, aut confundat? Sed in illo euentu non propter æquiualentiam vllam, qua contritio actui, qui esset solus amor, & actui realiter distincto, qui esset solum odium, æquiualeat, ea denominationum apta distributio fieret: ergo propter solam distinctionem virtualem: hæc igitur est admittenda. Insuper tertio: fac per impossibile, nullum voluntatis actum possibilem esse, nisi eum, quo indiuisibiliter Deus ametur, & peccatum odio habeatur, profectò in hac hypothese eiusmodi actus Deum amaret, & non odisset, & contra peccatum odisset, ac non amaret: sed non propter æquiualentiam respectu diuersorum actuum amoris, & odij: nulli namque tunc essent: ergo propter solam distinctionem virtualem: hæc igitur nequit negari.

Præterea quartò: aliud est, an actus contritionis possit simul amare, & odisse, etiamsi sit idem virtualiter, nimirum propter æquiualentiam, qua in ratione amoris, & odij cum diuersis actibus coincidit: aliud, an eiusmodi denominationes separatae, & non confusae tribui debeant, sic, ut Deus ametur, non odio habeatur, peccatum verò odio, & non amore tangatur, quantumcumque actus contritionis sit virtualiter indiuisibilis, nimirum, quia diuersis actibus amoris, & odij æquipollet. Prius illud aduersariis largimur, & coniectura superiori fate-mur euinci: quia potius idipsum est, quod nos nostro argumento quantumlocunque contendimus: toti enim sumus in inferendo, actum contritionis necessario amatum, quod odio, & odio habitum, quod amore prosequitur, si virtualiter indistinctus sit, adeoque

E duas

duas illas denominationes tributam, tamen non diuersis, sed vni. Caterum hoc posterius falsum esse, omnibus neruis contendimus, ac denno contra aduersarios probamus: siquidem, vt actus contritionis amet, odioque habeat, iuxta ipsos opus est, vt æquiualeat diuersis actibus in ratione amoris, & odij: vt ergo eas separet, & non confundat, opus est, vt eorum distinctioni æquiualeat, siue, vt sit instar distinctorum actuum, non solum in ratione amoris, & odij, sed etiam quoad eorum distinctionem. Ast æquiualeat diuersis actibus, non tantum quoad eorum entitates, & quidditates, sed etiam penes eorum distinctionem realem, est distingui virtualiter, ac perinde recipere prædicata contradictoria, ac ea admittunt actus realiter distincti: actus ergo contritionis virtualiter multiplex, & prædicatis contradictoriis obnoxius est hoc ipso, quod diuersas denominationes impermixtas conferat. In summa; talis æquiualentia, qualem aduersarij concedunt, facit quidem, vt actus contritionis possit amare simul, & odisse, quod nos vltro largimur: non verò, vt possit idem obiectum amare, & non odisse, aut conuersum, quod tamen solum inficiamur, quodque totius inter nos, & ipsos controuersia caput est.

114 Vltius quintò: æquiualeat illa, ratione cuius actus contritionis quantumlibet idem virtualiter, ac nulli prædicatorum contradictioni subiectus, par tamen sit amoris, & odio realiter distinctis, omnino repugnat, cum contineat eiusdem actus similitudinem, ac dissimilitudinem respectu diuersorum. Tandem eiusmodi fictitia æquiualentia distinctionis virtualis experts, ab eaque se iuncta non potest facere, ne odiu terminetur ad Deum, & amor ad peccatum: imò quatenus excludit distinctionem virtualem, vtramque formalitatem ita terminari postulat: non ergo potest facere, ne Deus odio, & peccatu amore vi actus contritionis habeatur: quin imò hoc amari & illum odio haberi necessario exigit.

115 Alia deniq; nostri argumenti solutio esse potest; propterea actu contritionis amare, & odisse aliud, aliudque obiectum, & has denominationes minime confundere, quia in eo amor, & odium distinguuntur ratione, seu consideratione nostra, sin minus formaliter, ac certè fundamentaliter: proinde opus non esse distinctione virtuali cum contradictione prædicatorum coniuncta. Contra tamen primò: quia duæ vltimæ impugnationes superioris solutionis aduersus hanc etiã faciunt, vt eas applicanti perspicuum erit. Contra secundò: amor contritionis distinguitur fundamentaliter ab odio in eo imbibito: ac odium non distinguitur ratione fundamentaliter à seipso, quemadmodum cognitio, v. g. à semetipsa, siue à representatione, ita non distinguitur: amor ergo, & odio realiter indistinctis prædicata contradictoria conueniunt, ac proinde virtualem admittunt distinctionem. Atque hætenus primum pro ea argumentum.

CAPVT VIII.

Secunda pro distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis ratio.

116 **A**lbedo exempli causâ considerari potest, vt est effectus Dei essentialiter pendens ab illo, & vt est causa suorum effectuum, nimirum disgregationis visus, & similium: sed hæc duplex habitudo, altera effectus ad suam causam, & maxime primâ, altera causæ ad suos effectus in albedine virtualiter distinguuntur, ac prædicata contradictoria suscipiunt: potest enim percipi sensu materiali, tã interno, quàm externo albedo, quatenus est disgregatiua visus, & sub habitudine causæ ad effectum (hæc enim est essentia albedinis, quæ citra

dubium ita est perceptibilis) quin materialiter percipi possit, quatenus est pendens à Deo, & vt subest primæ habitudini effectus ad causam: duplex igitur illa habitudo albedini inlita prædicata contradictoria recipit. Antecedens quoad primam eius partem est manifestum: quoad secundam probatur: non potest clarè, distinctè, & intuitiue percipi dependentia à causa prima, siue habitudo ad illam, quin causa ipsa prima percipiatur: sed causa prima sensu materiali, seu corporeo interno, aut externo diuinitus etiam percipi nequit, vt Theologi omnes nemine excepto veluti certum, & exploratum tradunt: dependentia igitur illa radicalis à causa prima, siue habitudo ad illam à sensu materiali albedinè percipiente percipi nequit.

117 Dices primò: visû albedine videri implicite, & confusè tantum dependentiam eius à causa prima: ad quod opus non est, vt causa ipsa prima percipiatur: quo pacto, qui visû procul animalis implicite, & confusè rationalitatem ei inexistenter attingit, non propterea percipit discursus, quos rationalitas essentialiter respicit. Contrà tamen sic argumentor: ideo intellectus eleuari potest ad clarè Deum videntem, cum tamen sensus materialis ad claram eius visionem, ne diuinitus eleuabilis sit, quia intellectus folis naturæ viribus implicite, & confusè percipit Deum, quem tamen sensus materialis nequitam naturaliter attingit, sed visus materialis conspecta albedine, eius à Deo dependentiam essentialiter implicite, & confusè attingit, vt hæc solutio largitur, nec denegare potest: igitur visus materialis diuinitus eleuari potest ad clarè, & explicitè percipiendam dependentiam illam à causa prima, adeoque ad percipiendam ipsam causam primam, quod tamen repugnat.

118 Dices secundò, nostro argumento concludi albedinem, vt albedo est, ac disgregatiua visus, visu materiali percipi non posse: namque, si quando percipitur disgregatiua visus: ergo clarè percipitur ipsa disgregatio in actu secundo, sicut habitudo ad illam: sed disgregatio in actu secundo tam est extra latitudinem obiecti potentia visua, quàm Deus: tam enim non est color, aut lux, quàm Deus, nec ista, nec ille est: tam igitur est imperceptibilis visu corporeo, quàm Deus; ex quo etiam fit, habitudinem ad illam æquè esse inuisibilem oculo corporeo, ac illo Deus visibilis non est, si quid nostrum argumentum valet, aut concludit: nihil ergo valet, nihil concludit.

119 Respondeo: visus corporeus semper percipit de facto, vt aiunt, albedinem cum aliqua confusione, quam secum fert eius materialitas, & imperfectio, atque adeo quamvis ab eo percipiatur albedo vt albedo est, siue vt essentialiter disgregatiua visus, non tamen ab eo percipitur ipsa disgregatio, quæ est illius habitudinis radicalis terminus: quod autem vltius inferri potest saltem eleuari posse visum, vt disgregationem in actu secundo percipiat, nihil habet incommodi, quia disgregatio in actu secundo est ipsa visio materialis, non quæcumque, sed quæ maiori confusione, & imperfectione prædita est, quàm qua communiter alia visiones pollent: at visio non est extra latitudinem obiecti potentia visua, sicuti Deus: ergo nec disgregatio in actu secundo, ac proinde ad hanc percipiendam absque vilo incommodo visus supernaturaliter euehi potest: maior est perspicua: minor suadetur, tum, quia de facto multi censent, visionem esse reflexiuam supra seipsam, tum etiam, quia negantes reflexionem illam de facto, de possibili tamen illam concedunt: & merito: quandoquidem visio rationem formalem sub qua potentia visua nimirum visibile constituitur, eiusque quodammodo est obiectum.

Dices terriò: quævis formalitas albedinis seipsa est